



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Collario, quem crucifixus per visum à se remouit, quia duriùs  
responderat Priori suo, cap. 19

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

Vt video nō est nobis tutum cū Prælaris nostris con-  
tendere.

## CAPVT XIX.

CÆSARIVS.

**A** N N o præterito Cellularius quidam maior cū  
Priore suo de rebus exterioribus verbis cōten-  
dit, & videbatur ei, quia valde rationabiliter  
moueretur. In ipsa nocte Saluator ei in cruce apparuit  
iacens in terra, eratque velamen tenuē ac perspicuum  
super corpus illius expansum: cuius cū vellet vulne-  
ra retracto panno deosculari, imago manu auersa in-  
dignabundē illum amouit: tanquam diceret; non es  
dignus attactu corporis mei, qui serō me in Priore  
tuo prouocasti. Ille mox euigilans, & causam repulsa  
non ignorans, dictis maturis, me præfente, ad pedes  
Prioris se prostrauit, veniam pro excessu suo postulas.  
*Matth. 5.* APOLLONIVS: Si dignus est iudicio, qui irascitur fra-  
tri suo, iam non ambigo, quin maioris pœnæ senten-  
tiæ subiaceat, qui iratus fuerit patri suo, id est Præla-  
to. CÆSARIVS: Ita est, vt dicis, quia maiorem reueren-  
tiam debemus patribus, quam fratribus, siue carnales  
sint siue spirituales. APOLLONIVS: Quid si ex com-  
motione animi verbum iræ iaculetur in Sanctos, vel  
quod magis est, in ipsum Dominum? CÆSARIVS: Ta-  
le verbum dicitur blasphemia, quæ ex ira nascitur, &  
sape multum acriter à Deo vindicatur.

## CAPVT XX.

*Blasphemia pu-  
bitur.*

**S** CHOLARIS quidam Parisiis, eo tempore quo  
Abbas noster ibi studuit, verbum contumeliosum  
in sanctum Abraham euomuit: quo die tertio  
defuncto, cognouerunt omnes, qui verbum audierāt,  
quod per pœnam mortis Dominus sanctum suū vin-  
dicasset.

## CAPVT XXI.

**A** N T e hoc quinquennium, quando valida illa  
erant tonitrua, & penē à quotidiana aëris in-  
temperie messis impediēbatur, miles quidam  
prouinciæ nostræ homo liber, de villa satis  
nobis vicina, videns à parte occidentali aërem obscu-  
rari,